

tuit occidi ab his ipsis, qui occiderunt Christum? Perhibebat enim Christo testimonium Joannes. Illi qui audiebant Christum, ipsum occidere volebant, et eum qui testimonium perhibebat non occidebant. Quia enim si fieret impetus propter Christum in Joannem, non negaret. Erant quippe in illo vires magnæ, quibus appellatus est amicus sponsi¹. Magna in illo gratia, magna excellentia: « In natis mulierum nemo exurrexit major Joanne Baptistâ². » Ergo in illum impetus factus est, qui non habebat tales vires: fit impetus in Petrum, non fit in Joannem. Etenim vires ipsas Petrus post accepit, tunc autem infirmus fuit. Pro Christi nomine ille interrogatur, qui vires non habebat: ille qui habebat vires, non patitur persecutionem propter Christum; ne pro nomine Christi antecederet Christum. Non occiditur a Judæis, qui perhibeat liberum testimonium Christo, quem occiderunt Judæi: et occiditur ab Herode, quia dicebat ei: « Non » tibi licet habere uxorem fratris tui³. » Neque enim frater ejus sine posteritate decesserat. Pro lege quidem veritatis, pro æqualitate, pro justitia. Ideo Sanctus, ideo Martyr: sed non tamen pro illo nomine, quo Christiani sumus. Quare hoc, nisi ut impleretur, « Singularis ego » sum, donec transeam? »

¹ Joan. iii, 29. — ² Matth. xi, 11. — ³ Id. xiv, 3-11.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXLI.

Sermo ad plebem.

I. SOLEMNITATI Martyrum, sicut devotio celebritatis vestræ, ita nostræ servitutis sermo debetur. Sed meminisse oportet Charitatem Vestram, hesterno die quam multa dicta sint. Non enim quia propter aviditatem interioris oris vestri per totum sermonem tanquam recentes affuistis, propterea oblivisci debemus infirmitatis communis: primo quia et honorare oportet verba præclara, sicut scriptum est, Præclara autem verba sapientiæ Domini Dei sunt. Per nos tanquam per vascula vobis ministrantur: et si fictilia sunt vasa, sed panis coelestis est. Apostolus dicit: « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei¹. » Qui autem thesaurus, idem et panis. Nam si non idem esset thesaurus et panis, non de ipso thesauro alibi scriptum esset: « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir » autem stultus glutit illum². » Unde admonemus Charitatem Vestram, ut ea quæ audiendo tanquam ventre memoriæ conditis, rursus revolvendo et cogitando quodam modo ruminetis. Hoc est enim: « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus » glutit illum³. » Breviter dixit: Sapiens ruminat, stultus non ruminat. Hoc autem aperte et latine quid est?

¹ 2 Cor. iv, 7. — ² Prov. xxi, 20. — ³ Levit. xii, 2-8.

Sapiens cogitat ea quæ audierit, stultus autem audita oblivioni tradit. Neque enim propter aliud in Lege, munda ea dicta sunt animalia quæ ruminant, immunda quæ non ruminant: nam creatura Dei omnis munda est. Artifici Deo tam mundus est porcus quam agnus. Creavit enim omnia bona valde¹: et, « Omnis creatura Dei bona est², » dicit Apostolus: et, « Omnia munda mundis³. » Cum ergo in natura utrumque sit mundum; significatione tamen agnus significat aliquid mundum, porcus significat aliquid immundum: agnus significat innocentiam sapientie ruminantis; porcus significat immunditiam stultitiæ obliviscentis. Brevis Psalmus pro solemnitate dictus est, videamus an possit etiam breviter tractari.

II. « Voce mea ad Dominum clamavi. » Sufficeret « Voce » ad Dominum clamavi: » forte non frustra additum est, « mea. » Multi enim clamant ad Dominum, non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, in quo cœpit habitare Christus per fidem⁴, voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum. Non ubi homo audit, ibi Deus audit: nisi voce pulmonum et laterum et linguæ clames, homo te non audit; cogitatio tua clamor est ad Dominum. « Voce mea ad Dominum » clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum⁵. » Quod dixit: « Clamavi; » exposuit, cum dixit: « Depre- » catus sum. » Clamant enim ad Dominum et qui blasphemant. In superiori versu clamorem posuit, in sequenti clamorem exposuit. Quasi exigeretur, Quo clamore clamasti ad Dominum? « Ad Dominum, inquit, depre- » catus sum. » Clamor meus, deprecatio mea: non convicium, non murmur, non blasphemia.

III. « Effundam ante eum precem meam⁶. » Quid est

¹ Gen. 1, 31. — ² 1 Tim. IV, 4. — ³ Tit. 1, 15. — ⁴ Ephes. III, 17. — ⁵ Psal. CXXI, 2. — ⁶ Ibid. 3.

« Ante eum? » In conspectu ejus. Quid est, in conspectu ejus? Ubi videt. Ubi autem non videt? Ita enim dicimus, Ubi videt, quasi alicubi non videat. Sed in isto cœtu rerum corporalium vident et homines, vident et animalia: ille autem videt, et ubi homo non videt. Nam cogitationem tuam nullus hominum videt, Deus autem videt. Ibi ergo effunde precem tuam, ubi solus ille videt, qui remunerat. Nam in abscondito te Dominus Jesus Christus jussit orare: sed si agnoscas cubiculum tuum, et mundes, ibi rogas Deum. « Cum autem oratis, inquit, nolite » esse sicut hypocritæ, qui stant in plateis et vicis oran- » tes, ut videantur ab hominibus. Tu autem cum oras, » intra in cubiculum tuum, et claude ostium, et depre- » care Deum tuum in occulto; et qui videt in occulto, » reddet tibi¹. » Si homines reddituri sunt, effunde ante homines precem tuam: si Deus redditurus est, effunde ante eum precem tuam, et claude ostium, ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Ideo Apostolus, quia nostra potestate est ostium claudere, ostium cordis, non parietum, ibi enim et cubiculum; quia ergo in potestate nostra est hoc ostium claudere, « Neque detis, inquit, locum » diabolo². » Etenim si intravit et possedit; attende quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti.

IV. Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tanquam duas habet valvas, cupiditatis et timoris. Aut cupis aliquid terrenum, et hac intrat: aut times aliquid terrenum, et hac intrat. Timoris ergo et cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat: per desiderium vitæ æternæ Chris-

¹ Matth. VI, 5, 6. — ² Ephes. IV, 17.

tus intrat : per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat. Ecce Martyres clauerunt januam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste : riserunt, clauerunt valvam cupiditatis adversus diabolum. Minatus est mundus iste bestias, ignes, cruces : non timuerunt, clauerunt timoris valvam contra diabolum. Videamus si aperuerunt eas Christo : « Qui confessus me, » inquit, fuerit coram hominibus, confitebor illum et » ego coram Patre meo, qui est in cœlis¹. » Amaverunt ergo regnum cœlorum, ubi eos confitebitur Christus. Quomodo eos confessurus est? « Venite, benedicti Patris » mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi². » Confitebitur illos ad dexteram positos. Videamus si et timoris valvam Christo aperuerunt, quam diabolo clauerunt. Uno eodemque loco Dominus monet hoc, ut et diabolo claudatur, et sibi aperiatur. « Nolite, » inquit, timere eos qui corpus occidunt, animam autem » non possunt occidere. » Monuit ut timoris valva in faciem diabolo elideretur. Ergo nihil est timendum? Non ergo aperitur aditus timoris Christo, qui clausus est diabolo? Statim subjecit, tanquam dicens, Exclusisti illum, aperi mihi : « Sed eum timete, inquit, qui habet potestatem et animam et corpus occidere in gehenna ignis³. » Jam ergo si credidisti, et aperuisti Christo, claude contra diabolum. Intus est Christus, ibi habitat : effunde ante eum precem tuam, noli quærere ut de longe te exaudiat. Non enim longe est Sapientia Dei, « Quæ pertendit » a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter⁴. » Ergo intus apud te ante eum effunde precem tuam : ibi sunt aures ejus. « Quia neque ab Oriente, » neque ab Occidente, neque a desertis montibus, quo-

¹ Matth. x, 32. — ² Id. xxv, 34. — ³ Id. x, 28-37. — ⁴ Sap. viii, 1.

niam Deus judex est¹. » Si autem judex est, qualem causam geras in corde tuo, vide. »

V. « Effundam ante eum precem meam : tribulationem » meam in conspectu ejus annuntiabo². » Repetitio est, et in superioribus duobus versibus, et in his consequentibus; sententiæ duæ sunt, sed utraque bis dicta. Una est illa, « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad » Dominum deprecatus sum. » Altera est, « Effundam » ante eum precem meam, tribulationem meam in conspectu ejus annuntiabo. » Quod enim est, « Ante eum; » hoc est, « In conspectu ejus : » et quod est, « Precem » meam effundam; » hoc est, « Tribulationem meam » annuntiabo. » Quando hoc facis? In persecutione positus loquitur : « Dum defecit a me spiritus meus. » Quare defecit spiritus tuus, o Martyr in tribulatione posite? Ut non mihi arrogem vires meas, ut sciam quod alius in me operatur ipsam virtutem. « Cum autem vos tradent iudicibus, » (sic monuit Dominus quos Martyres facere volebat,) » nolite cogitare quid loquamini; non enim vos estis qui » loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in » vobis³. » Ergo deficiat spiritus tuus, loquatur Spiritus Dei. Merito eos pauperes facere volebat spiritu : « Beati » pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum⁴. » Beati ergo pauperes spiritu suo, divites Spiritu Dei. Omnis enim homo qui spiritum suum sequitur, superbus est. Subdat spiritum suum, ut capiat Spiritum Dei. Ibat in culmen, residat in valle. Si ierit in culmen, denatat ab illo aqua : si in valle resederit, implebitur ea, et fit ille venter de quo dictum est, « Flumina aquæ vivæ » fluent de ventre ejus⁵. » Ergo, « Dum defecit a me spiritus meus, in conspectu tuo annuntiavi tribulationem

¹ Psal. lxxiv, 7. — ² Id. cxli, 4. — ³ Matth. x, 19, 20. — ⁴ Id. v, 3. — ⁵ Joan. vii, 38.

» meam, » humilis factus, confitens tibi deficiente spiritu meo, cum sum plenus Spiritu tuo.

VI. Et audierunt forte homines, quia defecit in me spiritus meus, et desperaverunt de me, et dixerunt, Cepimus eum, oppressimus eum: « Et tu cognovisti semitas meas. » Illi me dejectum putabant, tu me stantem cernebas. Illi qui persequerentur et comprehenderant, implicatos putabant pedes meos: sed illis obligati sunt pedes, et ceciderunt; » nos autem surreximus, et erecti sumus¹. Oculi enim mei » semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo » pedes meos². » Perseveravi ambulando: « Qui enim » perseveraverit usque in finem, hic salvus erit³. » Illi oppressum me putabant, sed ego ambulabam. Ubi ambulabam? In semitis, quas illi non videbant, qui me captum putabant; in semitis justitiæ tuæ, in semitis præceptorum tuorum. « Tu enim cognovisti semitas meas: » persecutor non eas cognovit. Nam non in eis mihi invideret, sed in eis mecum ambularet. Quæ sunt istæ semitæ, nisi viæ illæ, de quibus alio loco dicitur, « Novit Dominus viam justorum, et via impiorum peribit⁴? » Non dixit, Viam impiorum non novit: « Novit justorum, impiorum autem » peribit. » Quod enim non novit, perit. Multis locis Scripturæ invenimus, quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est; non agnoscere, damnare est. Unde enim qui novit omnia, dicturus est in fine, « Non » novi vos⁵? » Non inde gaudeant et dicant, Non puniemur, quia non novit nos iudex. Jam puniti sunt, si eos non novit iudex. Quæ ergo dictæ sunt viæ, quas novit Dominus, ipsæ hic dictæ sunt semitæ, cum ait, « Tu cognovisti semitas meas. » Omnis enim semita, via est; non omnis via, semita est. Quare ergo viæ illæ semitæ sunt

¹ Psal. xix, 9. — ² Id. xxiv, 15. — ³ Matth. x, 22. — ⁴ Psal. i, 6. — ⁵ Matth. vii, 23.

dictæ, nisi quia angustæ sunt? Via lata impiorum, via angusta justorum.

VII. Quæ via, ipsæ et viæ: quemadmodum quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ; et quod cœlum, ipsi cœli. Pluraliter dicuntur, et singulariter dicuntur. Propter unitatem Ecclesiæ, una Ecclesia: « Una est columba mea, una est matri suæ¹. » Propter congregationes fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ: « Ecclesiæ, inquit, Judææ quæ in Christo, » gaudebant, quod ille qui nos persequeretur, nunc » evangelizat fidem, quam aliquando vastabat, et in me » glorificabant Deum². » Ecclesias sic dixit, et unam Ecclesiam sic dicit, « Sine offensione estote Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Dei³. » Sic ergo et viæ, et via, et semitæ, et semita. Quare semitæ, et quare semita? Quomodo quare Ecclesiæ et Ecclesia rationem reddidimus, debemus et hinc reddere rationem. Semitæ dictæ sunt Dei, quia multa præcepta sunt: et quia eadem multa præcepta ad unum rediguntur, quia « Plenitudo legis charitas⁴, » propterea viæ istæ in multis præceptis ad unam colliguntur, et una dicitur, quia via nostra charitas est. Videamus si charitas via est. Audiamus Apostolum: « Et adhuc super » eminentiorem viam vobis demonstro⁵. » Quam dicis, » o Apostole, « Super eminentiorem viam? » Quam dico audi: « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut ærumentum » sonans, aut cymbalum tinniens: etsi habuero prophetiam, et sciero omnia sacramenta, et omnem scientiam, » etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: » charitatem autem non habeam, nihil sum: etsi distribuero omnia mea pauperibus, etsi tradidero corpus » meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil

¹ Cant. vi, 8. — ² Gal. i, 22-24. — ³ I Cor. x, 32. — ⁴ Rom. xii, 10. — ⁵ I Cor. xii, 31.

» mihi prodest¹. » Ergo charitatem dixit, « Superemi-
» nentior viam. » Magna ista via, fratres, magnum mi-
raculum habet. Hæc via certe, quia supereminetior est,
et excellentior est: hoc enim supereminet, quod excel-
sum est. Nihil excelsius via charitatis, et non in illa am-
bulant nisi humiles. Has ergo semitas, dicit præcepta
charitas. « Tu, inquit, cognovisti semitas meas: » tu
nosti quia quod pro te patior, amore patior: tu nosti,
quia charitas in me omnia tolerat: tu nosti, quia etsi trado
corpus meum ut ardeam, habeo illam, sine qua illud non
prodest homini.

VIII. Quis autem novit vias istas hominis, fratres mei,
nisi vere ille cui dictum est, « Tu cognovisti semitas
» meas? » Omnia enim facta humana ante oculos homi-
num, incertum est quo corde fiant. Et quam multi impij
metientes semetipsos ex semetipsis, dicunt de nobis, quod
ista in Ecclesia quærimus, honores, laudes, utilitates
temporales? Quam multi dicunt, me propterea loqui vo-
bis, ut acclametis et laudetis me, et hunc me habere
finem et hanc intentionem, cum loquor? Et quomodo eis
ostendo non ea intentione me loqui? Restat ut dicam,
« Tu cognovisti semitas meas. » Quomodo illi sciunt,
quod nec vos scitis? Quomodo illi sciunt, quod vix ego
scio? Neque enim ego me ipsum dijudico: qui enim di-
judicat me, Dominus est². » Nescio quid de se Petrus
nesciens præsumit, et aliud videbat medicus in viribus
ejus. Ergo pie pureque clametur ad Dominum, quia vere
clamatur, « Tu cognovisti semitas meas. » Sed vis ut
ducat te per ipsas semitas? Esto mitis? esto mansuetus;
noli esse ferox, noli superbus, noli excussa et erecta cer-
vice, « Sicut equus et mulus, quibus non est intellec-
» tus³. » Cum enim fueris mitis, cum fueris mansuetus,

¹ 1 Cor. xiii, 1-3. — ² Id, iv, 3, 4. — ³ Psal. xxxi, 9.

insidet Dominus, et ducet te per vias suas⁴. Diriget enim
mites in iudicio, docebit mansuetos vias suas. » Tu ergo
» cognovisti semitas meas. »

IX. « In via hac, qua ingrediebar, absconderunt mihi
muscipulam. » Via hæc qua ingrediebatur, Christus est:
ibi illi absconderunt muscipulam, qui persequuntur in
Christo, propter nomen Christi. Ibi ergo « Absconderunt
» muscipulam mihi. » Quid in me zelant? quid in me perse-
quuntur? Quod Christianus sum. Si ergo hoc persequuntur,
quod Christianus sum, « In via, qua ingrediebar abscon-
» derunt mihi muscipulam. » Quantum in ipsis est, in via qua
ingrediebar, ipsi absconderunt muscipulam mihi: quantum
ad eorum cupiditatem pertinet, quantum ad eorum cona-
tum, quantum ad eorum votum, in ipsa via me voluerunt
habere muscipulam, qua caperer. « Sed novit Dominus viam
» justorum²: » et, « Tu cognovisti semitas meas. » Hoc qui-
dem illi voluerunt: sed tu eos non permittis in te ponere
scandalum, quia tu es via mea. Nam et hæretici in nomine
Christi nobis volunt abscondere scandalum, et ipsi fallun-
tur. Quod se in via putant ponere, extra viam ponunt, quia et
ipsi extra viam sunt. Muscipulam ponere non possunt, ubi
ipsi non sunt. Sed dictum est hoc secundum cupiditatem
ipsorum, secundum votum et opinionem eorum: nam ex-
presse alibi dictum est, « Juxta semitas scandala posuerunt
» mihi³. » Hoc quod dictum est, « In via, » secundum cupidi-
tatem eorum et votum dictum est: illud quod dictum est,
juxta viam, id est, juxta semitas, secundum veritatem dictum
est. Revera enim non ponunt in semita, non ponunt in
ipsa via, quia Christus est via⁴: sane juxta semitas ponunt.
Non eos Christus sinit ponere in via, ne non sit qua ea-
mus: sinit tamen eos ponere juxta viam, ut de via non
declinemus. In via se putat ponere scandalum Paganus,

¹ Psal. xxiv, 9. — ² Id. i, 6. — ³ Id. cxxxix, 6. — ⁴ Joan. xiv, 6.

quando mihi dicit, Colis Deum crucifixum. Reprehendit crucem Christi, quam non intelligit. In Christo se putat ponere, quod juxta viam ponit. Non egrediar a Christo, et non incidam a via in muscipulam. Insultet ille crucifixo Christo, videam ego in frontibus regum crucem Christi. Quod irridet, ibi salvor. Nihil est superbius ægroto, qui deridet medicamentum suum. Si non derideret, acciperet et ipse, et sanaretur. Crux illa signum est humilitatis, ille autem superbia nimia non agnoscit unde sanetur tumor animæ ipsius. Si autem ego agnosco, in via ambulo. Usque adeo de cruce non erubescio, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus: quædam sicut nostis ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur, ille qui dixit. « Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in cœlis est¹: » ipsam ignominiam quodam modo, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Audis hominem insultare impudenti, et dicere, Frontem non habet. Quid est, frontem non habet? Impudens est. Non habeam nudam frontem, tegat eam crux Domini mei. Ergo « In via, qua ingrediebar, absconderunt muscipulam mihi, » quantum in ipsis est; nam juxta viam posuerunt: ego autem tutus ero, si de via non recessero. « Ignoras quia in medio laqueorum ingredieris², » ait Scriptura. Quid est, « In medio laqueorum? » in via Christi, et hinc laquei, et hinc laquei: laquei a dextris, laquei a sinistris: laquei a dextris, prosperitas sæculi; laquei a sinistris, adversitas sæculi: laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli recedere: nec promissio

¹ Luc. ix, 26. — ² Eccli ix, 20.

te capiat, nec terror elidat. « In via hac, qua ingrediebar, absconderunt muscipulam mihi. »
 X. « Considerabam in dexteram et videbam¹. » In dexteram considerabat, et videbat: in sinistram qui considerat, excæcatur. Quid est in dexteram considerare? Ubi erunt illi, quibus dicetur, « Venite, benedicti Patris mei possidete regnum². » Erunt enim quidam in sinistra, quibus dicetur, « Ite in ignem æternum, qui paratus est » diabolo et angelis ejus³. » Fremente ergo toto mundo et minante in persecutionibus, crebrescentibus undique insultationibus hominum atque terroribus, ille contemnens præsentia, respiciebat in futura, attendebat in dexteram, ubi futurus est; ibi esse meditabatur, illuc attendebat, et videbat, et ideo omnia ferebat: illi autem qui persequabantur, non videbant. Ideo cum diceret, « Considerabam in dexteram, et videbam: » secutus ait, « Et non erat qui cognosceret me. » Cum enim toleras omnia, quis novit quid attendas, utrum in dexteram oculum dirigas, an in sinistram? In eo quod toleras, si laudem hominum quæris, in sinistram attendisti: in eo quod toleras, si promissa Dei quæris, in dexteram attendisti. Attendisti in dexteram, videbis: attendisti in sinistram, excæcaberis. Sed et cum vides in dexteram, non erit qui te agnoscat. Quis enim te consolatur, nisi Dominus cui dicis, « Et tu cognovisti semitas meas? Nec erat qui cognosceret me. »

XI. « Periiit fuga a me. » Tanquam circumclusum se dicit. « Periiit fuga a me. » Insultent persecutores, oppressus est, captus est, circumclusus est, victus est, periiit fuga ab illo. Ab illo periiit fuga, qui non fugit. Qui autem non fugit, patitur quidquid potest pro Christo: id est, non fugit animo. Nam corpore fugere licet, conces-

¹ Psal. cxli, 5. — ² Matth. xxv, 34. — ³ Ibid. 41.

sum est, permissum est, Domino dicente, « Si vos per- » secuti fuerint in una civitate, fugite in aliam¹. » Qui ergo non fugit animo, periit ab illo fuga. Sed interest quare non fugiat, quia circumclusus est, quia captus est, an quia fortis est. Et a capto enim periit fuga, et a forti periit fuga. Quæ ergo fuga cavenda est? quæ fuga a nobis pereat? De qua Dominus dicit in Evangelio, « Quia pas- » tor bonus animam suam ponit pro ovibus suis: mer- » cenarius autem et qui non est pastor, cum viderit lu- » pum venientem, fugit. » Cum viderit prædonem, quare fugit? « Quia non est ei cura de ovibus². » Talis fuga ab isto perierat, sive ab ipsius capitis persona accipiamus hanc vocem illius Christi Domini, qui pro omnibus mortuus est; sive a membris ejus Martyribus nostris, quia et ipsi pro fratribus passi sunt. Audi Joannem dicentem, « Si- » cut enim ille animam suam pro nobis posuit, sic et nos » debemus animas pro fratribus ponere³. » Sed cum illi ponunt, Christus ponit: quia cum illi patiuntur persecu- tionem, ipse clamat, « Quid me persequeris⁴? Periit » fuga a me: et non est qui exquirat animam meam. » Ergo non est qui exquirat animam ipsius? Videt homines velle sævire in necem suam, velle effundere sanguinem ipsius, quomodo non est qui requirat animam ejus? Et hoc duobus modis accipitur. Quomodo perire fugam accipitur duobus modis, quia et a capto et a forti perit fuga: sic duobus modis quæritur anima hominis, aut a persecuto- ribus, aut a dilectoribus. Ita ergo, « Non est qui requirat » animam meam: » de illis dixit, Certe persequuntur animam meam, et non quærunt animam meam. Si autem requirant animam meam, invenient inhærentem tibi: etsi norunt eam quærere, norunt et imitari. Nam ut noveritis quæri animam hominis, et a persecutoribus, inde alibi

¹ Matth. x, 23. — ² Joan. x, 11-13. — ³ 1 Joan. iii, 16. — ⁴ Act. ix, 4.

dicitur, « Confundantur, et revereantur, qui quærunt » animam meam¹. »

XII. « Clamavi ad te, Domine: dixi, Tu es spes mea². » Quando tolerabam, quando tribulabar, « Dixi, Tu es spes » mea. » Spes mea hic, ideo tolero. « Portio » autem « Mea, » non hic, sed « In terra viventium. » Dat Deus portionem in terra viventium, sed non aliquid a se extra se. Quid dabit amanti se, nisi se?

XIII. « Intende ad orationem meam; quia humiliatus » sum nimis³. » Humiliatus a persecutoribus, humiliatus in confessione. Humiliat se invisibiliter, humiliatus ab hostibus visibiliter. Erigitur ergo ab illo visibiliter et in- visibiliter. Invisibiliter erecti sunt jam Martyres: visibili- ter erigentur, cum corruptibile hoc induerit incorruptio- nem in resurrectione mortuorum, cum et hoc ipsum in quod solum persecutores sævire potuerunt, instaurabi- » tur⁴. « Nolite timere eos, qui corpus occidunt, ani- » mam autem non possunt occidere⁵. » Et quid perit? quid occidunt? Vel hoc eis permittitur, ut quod oc- ciderint pereat? Non periet. Audi ipsius Domini promissionem: « Amen dico vobis, capillus capitis vestri non » periet⁶. » Quid ergo de cæteris membris sollicitus es, ubi damnum capilli non erit?

XIV. « Erue me a persequentibus me. » A quibus pu- tatis quod oret ut eruatur? Ab hominibus qui perseque- bantur? Ita vero, ipsi homines sunt hostes nostri? Habe- mus alios hostes invisibiles, qui aliter persequuntur. Homo persequitur, ut occidat corpus; persequitur alius, ut illa- queet animam. Et ideo per vasa sua, quia de illo dictum est, « Operatur in filiis diffidentiae⁷ » per vasa sua, id est, homines, in quibus operatur, agit persecutionem cor-

¹ Psal. xxxix, 15. — ² Id. cxli, 6. — ³ Ibid. 13. — ⁴ 1 Cor. xv, 23. — ⁵ Matth. x, 28. — ⁶ Luc. xxi, 18. — ⁷ Ephes. ii, 2.

poris, ut intus fiat ruina cordis. Nam si cadente corpore stat anima, muscipula comminuta est, et nos liberati sumus. Ergo sunt et alii hostes nostri, a quibus deprecari debemus Deum ut eruat nos, ne seducant nos, vel fractos molestiis sæcularibus, vel inductos illecebris. Qui sunt isti hostes? Videamus si ab aliquo servo Dominico aperte describuntur, ab aliquo milite perfecto, qui cum illis congressus est. Audi Apostolum dicentem: « Non est vobis » collectatio adversus carnem et sanguinem¹. » Nolite quasi odia vestra convertere in homines, et eos vobis hostes existimare, et eorum inimicitias vos conteri putare: isti homines quos timetis, caro et sanguis sunt; « Non est vobis » bis collectatio adversus carnem et sanguinem. » Sic voluit dicere, contemnens hominum mortalitatem. Et adversus quos? « Adversus principes, inquit, et potestates, et rectores hujus mundi tenebrarum harum². » Expaveras, cum audires, rectores mundi. Si rectores mundi istius, numquid præter mundum iturus es, ubi illos non patiaris? Præter mundum iturus es, ubi ab eis eruaris? Sic ergo accipe mundi et tenebrarum harum rectores, non rectores cœli et terræ: nam ipsa fabrica Dei est. Cœlum et terra mundus dicitur, et homines mali mundus. Quare et isti mundus? Quia diligunt mundum: et ideo tenebræ, quia impii. Ideoque jam ex ipso numero erudentibus multis, quid dicit Apostolus? « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino³. » Antequam essetis ergo lux, cum tenebræ essetis, attendite quem rectorem habuistis. Quem rectorem habent iniqui, nisi diabolum, quomodo pii et fideles rectorem habent Christum? Ergo diabolum et angelos ejus rectores mundi appellavit, id est, rectores dilectorum mundi, rectores peccatorum, quod est, tenebrarum harum: ipsos habe-

¹ Ephes. vi, 12. — ² Ibid. — ³ Id. v, 8.

mus inimicos, a quibus debemus deprecari Dominum ut eruamur.

XV. Audi mundum et mundum aperte, uno loco in Scriptura sancta, in Evangelio; mundum quem fecit Deus, mundum quem regit diabolus, id est, dilectores mundi. Homines enim ipsos fecit Deus, dilectores mundi non eos fecit. Mundum enim diligere peccatum est, peccatum autem non fecit Deus. Audi ergo, ut dicere cœperam, mundum et mundum. « In hoc mundo erat¹, dictum est. De quo dictum est, In hoc mundo erat nisi de Sapientia Dei, quod est Christus Jesus; de qua dictum est, quod paulo ante commemoravi, « Pertendit a fine » usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter?² » Attingit enim ubique propter suam munditiam, et nihil » inquinatum in illam incurrit³. » Ergo, « In hoc mundo » erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non » cognovit. » Audisti duos mundos: « Mundus per eum » factus est, et mundus eum non cognovit. » Non mundus qui factus est per Jesum, ab illis principibus et potestatibus tenebrarum regitur⁴; sed mundus qui non cognovit Jesum, id est, dilectores mundi, peccatores, iniqui, superbi et infideles. Unde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, et diligendo inhabitant mundum: quomodo domus dicitur et fabrica et inhabitantes. Bona domus, plerumque bona fabrica; et bona domus, quia boni conversantur in ea. Et cave domum istam, quia mala est, duobus modis dicitur: Mala est domus hæc, cave; forte propter ruinam, ne aliquid cadat et te premat: dicitur et sic alio modo, Cave domum istam malam, ne incurras in laqueum venantium, ne pauper opprimaris a divite, ne fraudem aliquam patiaris. Quomodo ergo domus et domus, sic mundus et mundus. Quare autem et

¹ Joan. 1, 10. — ² Sap. vii, 1. — ³ Id. vii, 24. — ⁴ Ephes. vi, 12.